



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1762**

**VD18 90118014**

§. 2. Stephanus moritur. Henricus II. Rex Angliæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](#)

Sæcul. XII. corum beneficio Calici mixtum, ha-  
A. C. 1154. sisset. Verumtamen postea patuit, ina-  
nem fuisse rumorem & quorundam ma-  
levolorum calumniam.

Guilielmus inter Sanctos in die obi-  
tus sui honoratur, corpusque ipsius post  
annos triginta, ex quo decesserat, e ter-  
ra elevatum est, quæ translatio complu-  
ribus miraculis claruit.

Guilielmo fatis functo, Roberto De-  
cano & Osberto Archidiacono, qui ei  
semper infensi fuerant, præcipuis auto-  
ribus, a Capitulo, ut ut repugnante, e-  
lectus est Rogerius Archidiaconus Can-  
tuariensis, eidem favente Theobaldo  
Archiepiscopo, in Anglia Legato, & Re-  
ge consentiente. Eum Theobaldus suis  
manibus ordinavit, a quo Capitulum  
Cathedrale Eboracense obtinuit, ut hanc  
Consecrationem ex potestate sibi ut Le-  
gato Sedis Apostolicæ competente, non  
autem jure Archiepiscopali Ecclesæ  
Cantuariensi annexo, perageret. Ro-  
gerius Sedem Eboracensem annis viginti  
septem tenuit, magis sæcularibus nego-  
tiis, quam officiis spiritualibus intentus.

*Goduin.  
Ebor. c. 31.*

### §. II.

*Stephanus moritur. Henricus II. Rex  
Angliæ.*

Eodem anno millesimo centesimo quin-  
quagesimo quarto vigesima quinta  
Octo-

Octobris e vivis abiit Stephanus Rex An- Sæcul. XII.  
gliæ, postquam annis novemdecim re- A.C. 1154.  
gnasset. Tumque Henricus Dux Nor- Matth.  
manniæ, nemine repugnante Rex saluta- Paris.  
tur, ut inter ipsum & Regem Stepha-  
num anno superiore, initis fœderibus,  
convenerat. Henricus Geofridi Plan-  
tageniti, Comitis Andegavensis, & Ma-  
thildis, ex Henrico I. Rege genitæ, fi-  
lius Alienoram Aquitaniæ Ducissam, a  
Rege Franciæ Ludovico juniore divor-  
tio separatam, tori consortem accepe-  
rat; unde Christianorum Principum po-  
tentissimus illa ætate extitit, cum jure  
materno Regno Angliæ & Normanniæ,  
paterno Andegavensis, Turonensis  
& Cenomanensis, Uxorio autem A-  
quitaniæ & Pictonibus imperaret. In  
Normannia versabatur, cum nuncium  
acepit, Regem Stephanum decessisse.  
Quare abjecta omni mora in Angliam  
transmisit, cumque septima Decembris  
appulisset in Insulam, die Dominica an-  
te Festum Natalis Domini, decima nona  
eiusdem mensis, Westmonasterii a Theo-  
baldo Archiepiscopo Cantuariensi corona-  
tus est, Archiepiscopis, Episcopis & Ba-  
ronibus Angliæ ac Normanniæ præsentibus.  
Regnavit annis triginta quinque,  
cognomento *Courtmantel*, \* licet sæpissi. \* *Kurzmantel*  
me Henricus II. dicatur.

### §. III.

